Philoſophiæ Moralis
COMPENDIUM,
Juventutis Academicæ Studiis
Accommodatum;
Ex Veterum Scholarum placitis in hodiernarum uſum concinnatum:

Ab Eruditiſſimo Viro

GERH. LANGBAINE, S. T. P.

Inchoatum,

Curâ Rev. adm. THO. BARLOWE,
Nuper *Epiſc. Lincoln.* Adornatum,

Publici juris fecit & illuſtravit *N. N.*

LONDINI,
Impenſis *Rich. Sare*, ad Portam *Hoſpitii Grayenſis*, in vico vulgò dicto *Holbourn*, 1698.

UMI

JUVENTUTI ACADEMICÆ *Felicitatem.*

EN *vobis tandem*, Juvenes præclariſſimi, *Philoſophiæ moralis* Compendium, *omnium quæ Sol unquam adhuc vidit* Breviſſimum! *Idque aliorum hujuſmodi Compendiorum Compendium meritò audiat. Habetis, inquam, vel in hoc* Uno *pleroſque ferè omnes prolixiores* Ethices *tractatus in* Epitomen *redactos, ſuccinctam adeo &* lectu *facilem*; *ut quis* Veſtrûm, *bonâ indole & ingenio, evadat* Idoneus *ſtatim Philoſophiæ Moralis* Auditor; *& quàm breviſſimè liceat Tyronibus, ſi non Annis, quod tamen præ-*

ſtat,

ſtat, animis Caneſcere. *Hinc comparatum eſt ut* Flores Academici *intrà Menſem unum aut alterum matureſcant in* Fructum *& Felicitatem, bonóſque ferant tam vivendi quam diſputandi* Mores. *Taceo jam* Crellium, Golium, Euſtachium, Burgerſdicium, Morum, Whitbeium, *& cæteros ejuſdem ferè &* Longitudinis, *(ut dicam) &* Latitudinis *Philoſophos: immò* Ariſtotelem *ipſum, cui pro veritate tam pertinaciter adhæreo & debeo, in hoc* Uno Brevitatis *averſor. Quantumvis enim alii* Authores *altiùs erigant criſtas ſuas, hoc tamen mihi perſuaſum habeo* Libellum *hunc qualem qualem Studiis veſtris vitíſque meliùs inſtituendis* Uſui *ſaltem, eique non minimo* Scholis *etiam* Moralibus *futurum. Studete & valete.*

ETHICES

ETHICES *Compendium.*

CAPUT I.

De Definitione & Divisione Moralis Philosophiæ.

PHILOSOPHIA est Scientiarum omnium, Artiúmque liberalium complexio; éstque duplex:

Primò, Instrumentalis; quæ dirigit mentem nostram tam in *Idearum* investigatione quàm in cognitione *Rerum*: ut *Logica.*

Secundò, Principalis; quæ eſt ipſa *Rerum* cognitio. Et hæc rurſus eſt, vel,

Primò, Speculativa; quæ in nudâ iſtâ cognitione acquieſcit: ut, *Phyſica*, *Metaphyſica* & *Mathematica* Theoria, vel,

Secundò, Practica; quæ ad Praxin, ſive Operationem aliquam certam ordinatur & tendit; éſtque *Ethice*, propriiſſimè dicta.

Nota hìc diſcrimen illud tenero obſervatu digniſſimum inter *Praxin* & *Poeſin*; ceu clariùs, Actionem & Effectionem.

I. *Praxis* eſt Operatio, cujus Bonitas non omnino ex ſeipsâ; ſed ex animo agentis reliquíſque circumſtantiis eſt æſtimanda: ut, *dare Eleemoſynam.*

II. *Poeſis*; éſtque Operatio, Mentis Manûſve, cujus Bonitas ob quam laudatur, ipſi rei effectæ

effectæ inhæret; ut, *Pingere*; nihil enim refert quo animo quis pinxerit hunc vel illum *Equum*, modò Artis ſuæ graphicæ Regulas ſequatur, & non de eo fecerit *Alatum* Mendacium.

Philoſophia Practica, denique, ſive Moralis; quæ & græcè dicitur Ἠθικὴ ἀπὸ τῶν Ἠθῶν, ἢ ἀπὸ τοῦ Ἤθους à *conſuetudine*, vel à *moribus*, complectitur ſub ſe tres humanæ Societatis habitus;

Quorum Primus denotat *Ethicam* ſtrictè ſumptam; quæ ſcilicet Hominem in ſe & abſolutè ſpectatum dirigit, ut quoad virtutem ſibimet ipſi acquirat Felicitatem: ideóq; *Ethica* eſt verè *Prudentia*.

Secundus, *Politicam*; quæ aliis viis & modis dirigit Hominem; nempe ut eſt *Civis*, ad acquirendam Felicitatem Reipublicæ.

Tertius, demum, *Oeconomicam*; quæ etiam dirigit Hominem qualemcunque, ut Membrum Familiæ aut *Paremfamiliâs.*

Dogmata Philoſophiæ Moralis jam tantâ certitudine aut ἀκριβείᾳ, ob tot hominum tot ſententias moréſque recenſeri nequeunt; quantâ, Philoſophiæ Theoreticæ. Quamvis enim autoritate quorundam moti ſtatueremus in moralibus dari *Demonſtrationem*, contenderemus adhuc tamen, *poſitâ ſubjecti exiſtentiâ*, non tam facilè in *Ethicâ*, *certas ipſi affectiones competere, eáſque è principiis indubiis attribui*, quàm in *aliis ſcientiis*, oſtendi poſſe.

Porrò, *Juvenis* non eſt Auditor Idoneus Philoſophiæ hujuſce *Ethicæ*; quamvis licèt inhabilitas cujuſque *Juvenis* non ex ætate, ſed è moribus ſuis potiùs & Actionum Civilium imperitiâ, dijudicanda eſt. *Ariſt. lib.* 10. *Eth. cap.* 9. *& lib.* 1. *Eth. c.* 3.

CAP.

CAP. II.

De Bono in genere.

Diſciplinæ pleræque omnes Practicæ methodo analyticâ tradi ſolent, ſumpto exordio à *Fine*; quippe quæ cùm doceant quomodo Finis ſit obtinendus; ratio poſtulat, ut *primò* oſtendant quod nos obtinere vellent. E contrà, ſpeculativæ Diſciplinæ ab objectis incipiunt, & meritò; quia illæ cùm nos ſcire faciunt, ratio ſimiliter poſtulat, ut ſtatim in limine proponant quod ſunt docturæ.

Finis igitur *Ethicæ* eſt Felicitas, ſive *ſummum Bonum*; non ſimpliciter ſic dictum, ſed maximum quod in hâc vitâ poteſt obtineri.

Bonum, in genere, dicitur, quod eſt alicui congruum ceu conveni-

ens: vel, definiente *Ariſtotele* à *poſteriori*, Bonum eſt *quod omnia appetunt*; non tamen quaſi omnia idem appeterent, ſed diſtributivè ſcilicet; quòd quiſque appetit objectum quod ſibi Bonum eſt, aut ſaltem videtur eſſe vel Honeſtum, vel Utile, vel Jucundum.

Bonorum tria ſunt genera, videlicet, vel

1. *Animi*; Hujuſmodi ſunt Virtutes omnes, tum Intellectuales tum Morales. Pro hujuſce generis Bonis Philoſophus numerat φρόνησιν, ἀρετὴν & ἡδονὴν. . . . Mag. Moral c. 3. vel,
2. *Corporis*; uti Sanitas, Robur, Pulchritudo. Hæc autem ſunt Naturæ Dotes, & Bona potiùs Phyſica. Vel,
3. *Fortunæ*, ceu Bona externa, ut Honor, εὐγένεια, Imperium Libertas, Laus, *&c.* quàm multa ejuſdem Fortunæ.

Quòd

Quòd ad Bona Corporis & Fortunæ, ut ſupra; illa licèt Animi Bonis ſint multò Inferiora, quippe quòd nec ſunt in noſtrâ Poteſtate cum *Epicteto*, neque in illis ſitam eſſe Honeſtatem legimus cum Ariſtotele, ſunt tamen verè & ἁπλῶς, *Bona*; & proinde *Morbus* & *Ignominia*, quæ iſtis opponuntur è diametro, ſunt ſimpliciter etiam *Mala*: contra quam ſentiunt Opinionem *Stoici*. Verum enimverò fallor ni cum Sapientiſſimo *Stoicorum* minùs benè eſſet in *Phalaridis* Tauro, quàm ſi otiosè tantùm & cum licentiâ Philoſopharetur in *Parviſiis* apud *Scholas Oxonienſes*. Ipſe quidem malim centies *Ariſtotelis* Organo, quàm ſemel *Nicocreontis* ferreis Piſtillis tundi.

CAP. III.

De ſummo Bono.

BOnum, aliud eſt Finis; aliud Medium tantùm ad Finem. Finis ſemper expetitur propter ſe; Medium denuò, non niſi propter Finem. Nemo quem novi deſideraret innumeros penè gradus *Monumenti Londinenſis* aſcendere laboris ergò, ſed ſanitatis fortaſſe, aut ad *ſummum* Vanitatis.

Obſervandum eſt obiter hìc loci Bonitatem Intentionis minimè ſufficere ad Bonitatem Actûs. Papæ! quàm iniquiſſimæ Pacis homines ſub hâc larvâ prodiêrunt, & ventilârunt ſe Eccleſiæ nomine reformandæque Religionis causâ armatos, vel contra Eccleſiam dimicaturi. Nulli non *Rebelles* præ ſe tulerunt

lerunt Honorem, Juſtitiam atque *ſacra ipſa Biblia.*

Fines alii aliis ſubordinantur, & ſunt ultimati ſolùm ; quâ tamen ſubordinatione non proceditur in Infinitum, ſed datur tandem aliquis Ultimus Finis, æque ac *Ultima Linea Rerum,* qui omnem Appetitum ſatiat expleátque præter illum Unicum Beatitudinis æternæ capacem. Hic autem *Finis Ultimus,* ſummum Bonum aut Felicitas, apud Philoſophos audit.

Felicitas non conſiſtit

Primò, in Divitiis; ut æſtimat *vulgus*; nam pecuniæ quærendæ ſtudium ſapit latrocinium, & tam anxietatem acquirendi divitias quàm metum ſervandi acquiſitas. Sed Felix eſto, quem pericula ex rapto vivendi faciunt felicem.

Secundò, non in Honore; ſic *Politicus.* Inſtabile illud Honoris delirium quem queat

felicem reddere? non *Alexandrum*, non *Parmenionem*; nec Honorantem, neque Honoratum.

Tertiò, non in Voluptate; ſic *Epicurus.* Verùm neu collocari poteſt in voluptate *corporis*, aliàs etenim Felicitas *Hirco* cum *Homine* foret communis, eáque Beſtialis utrinque: neve *Animi*, tota; nam hæcce voluptas à boni cujuſdam fruitione potiùs oritur, quàm ſit ipſum Bonum.

Quartò, non in Contemplatione; ſic *Theoretici* volunt. Hæc autem contemplationis Opinio proximè venit ad Felicitatis Rhombum. Veritatem quidem ex parte alterâ, non totam tamen aſſerunt: Oportet enim virum, ex omni parte beatum, eſſe οὐ μόνον θεωρητικὸν πρὸς ὄντων ἀλλὰ καὶ πρακτικὸν πρὸς δεόντων. Plut. l. 1. de plac. Philoſ.

Quintò,

Quintò, non in nudâ Ideâ boni; uti *Plato*, cum Academicis. Quemadmodum *Hircocervi* tantùm videtur esse Felicitas idealis ista, quæ in rebus abstractis aut Universalibus, & forsan etiam *non-Entibus* posita est; quippe quia Actiones nostræ morales occupantur solummodò in singularibus, contingentibúsque, quarum Bonitas à particularibus circumstantiis dependet. Hinc Philosophiæ Moralis *Enthusiastæ*; qui, Phanaticâ quâdam Idearum persuasione, unum aliquod imaginarium ac immutabile Actionum nostrarum παράδειγμα, ceu Principium, ut circumforanei, pro Oraculo venditant, tanquam infallibilem suam Gratiam.

Sextò, ultimóque, Felicitas non ponenda est in solâ virtute ante Habitum ejus; ut Stoici con-

contendunt. Neque mihi quidem cum *Renato Des-Carteſio* ſufficere ad Beatitudinem ſola virtus videtur, *epiſt. P.* 1. *ep.* 4. ad *Principem Palatinum* inſcriptâ. Arrideat quantumvis aliis hæc opinio, poteſt quis virtute ſolâ præditus, totâ vitâ ἀπραγτεῖν, quæ longè abeſt à Felicitate; & præterea, tam iniquitate Temporum quàm calamitatibus aliis infeliciſſimis opprimi, *lib.* 1. *Eth. c.* 5.

Felicitas, ſecundùm *Peripateticos* non eſt unum aliquod ſimplex Bonum, ſed quid aggregatum ex omnium Bonorum genere: vel ſtatas omnium Bonorum aggregatione perfectus; quemadmodum eam definivit *Boethius*, cum ſummâ conſolatione Philoſophiæ: *lib.* 3. *p.* 87.

Sicut Bona alia aliis ſunt majora, ita omnia non æquè neceſſaria ad Felicitatem complendam: ſed alia

alia ejus Eſſentiam conſtituunt, ut virtus ejúſque Actiones; alia eam conſequuntur tantùm; ut voluptas animi, quæ à virtute naſcitur & conſcientiâ rectè factorum. Alia demum complent Felicitatem, ſeu ad ejus integritatem faciunt; ut bona corporis & Fortunæ; quorum quædam, corporis inſtrumenta ſunt; quædam ornamenta Felicitatis dicantur.

Quum verò Felicitas ab *Ariſtotele* definitur, *Operatio animæ rationalis ſecundùm optimam & perfectiſſimam virtutem, in vitâ perfectâ; hoc eſt*, vitâ in adultam ætatem longo virtutis exercitio provectâ; ſolam Eſſentiam in iis verbis expreſſam habemus: quæ ideo ad ejus integritatem ſpectant, alibi addit Philoſophus. *Optimæ* autem virtutes intelliguntur ſapientia, & juſtitia univerſalis: Hæc, Moralium; illa, intellectualium perfectiſſima.

Felicitas

Felicitas eſt Bonum ſtabile; & tale tantúmque quod ſemel acquiſitum, poſtea facilè amitti non poteſt: virtus enim, quæ eſt quaſi baſis & fundamentum Felicitatis, & in quâ ponitur ejus Eſſentia, nec arripi poteſt invitis, nec cùm fortunæ & corporis Bonis ſtatim auferri. Proinde bonorum externorum amiſſio non tollit felicitatis Eſſentiam, ſed minuit ſolummodò & mutilat ejus integritatem. *Solis* Lumen nubibus obfuſcari poteſt, *Sol* verò deſtrui non poteſt.

Ariſtoteles iterum, dividit Felicitatem in ſpeculativam & practicam; quæ tamen non ſunt duæ ſpecies Felicitatis, ſed partes diverſæ, ex quibus una hominis felicitas conſtituitur. Non enim vel θεωρία τῶν ὄντων, vel πρᾶξει τῶν δεόντων, homo in hâc vitâ perfectè beatus redditur, ſed utriuſque facultatis ſimul, veluti duorum bonorum Planetarum conjunctione:

ctione: non prout quidam *Stoicæ* farinæ homines & istiusmodi *Hypocritæ*, qui, quæ ore profitentur, vitâ refellunt.

Rectè quidam Bonum legunt quasi *duonum*, quia quicquid Bonum est, non nisi alteri bonum esse dici volunt: ideóque Bonum omne, tanquam *Aromata*, est suî diffusivum & communicabile; sicut enim *Finis coronat opus*, ita Charitas, Finem; & acta probat tandem exitu grato feliciſſimóque.

CAP. IV.

De actuum humanorum principiis.

HActenus de fine Ethicæ actum est; Sequuntur jam media, quibus ad Finem illum perveniatur.

Antequam verò ad ea descendamus, agendum est interim paucis de

de Actionibus humanis tanquam de Objecto ſeu Materiâ Philoſophiæ Moralis: harum autem actionum principia & affectiones primò conſiderandæ veniunt.

Principia actuum humanorum ſunt tria; viz. *Intellectus*, *Voluntas* ſeu appetitus rationalis, & *Appetitus ſenſitivus.*

Voluntas, ut & appetitus ſenſitivus, eſt potentia cæca; & proinde nihil appetit aut fugit, niſi quod Intellectus dictat appetendum aut fugiendum & prout intellectum voluntas, ſic appetitus ſenſitivus ſenſum ſequitur *ducem*. *Cæcuſà* naturâ non admiratur *colores*, nec intelligentis eſt velle ad *Utopiam* navigare: quis amet *Dulcineam Fabuloſam?* Quis *mundum* appetat *Lunarem?* Voluntas enim non poteſt ferri in incognitum; neque appetitus ſenſitivus, in Objectum quod minimè cadit ſub ſenſibus.

CAP.

CAP. V.

De Intellectu.

PRimum humanorum actuum principium eſt *Intellectus*, qui definiatur eſſe *Facultas animæ rationalis, quâ homo res cognoſcit, déque iis judicat:* éſtque duplex,

Primò, *Speculativus*; qui res abſolutè conſiderat quoad earum Eſſentias, quatenus res ſunt; ſeu veræ, ſive falſæ.

Secundò, *Practicus*; qui res conſiderat reſpectivè tantùm, ut ſunt *Bonæ* vel *Malæ*. Nota hic benè voluntatem ſequi dictamen ultimum intellectûs hujuſce *Practici*, quamvis non ita *Speculativi*. Hujus actûs ſpecies habentur vel,

1. *Judicium* de objecto; ſítne revera Bonum vel Malum; atque hoc eſt duplex, Primò,

Primò, Abſolutum; quod res ſeorſim judicat, ac decernit quid ſit in ſe Bonum vel Malum.

Secundò, Comparatum; quod res cùm aliis rebus ac circumſtantiis comparat, diſcrimínátque quid ſit melius aut deterius. Vel,

2. *Propoſitio* objecti qualis qualis ad voluntatem, ſub ratione appetendi aut fugiendi. Vel denique,

3. *Deliberatio* aut conſultatio, græcè βούλευσις, quæ eſt examen aut collatio mediorum inter ſe, ut præ cæteris minùs præſtantibus præſtantiora eligantur & commodiora. Fruſtum panis vel pretioſiſſimo lapidi, ut res ſe habeant fortaſſe, præferendum eſt.

Objectum verò hujus βουλεύσεως, eſt *Bonum*, [omnia enim illud appetunt] ídque *contingens*, [nam non eſt deliberandum de iis quæ aliter ſe habere nequeant] *ſi-*

tum

tum in noſtrâ poteſtate, ἐφ' ἡμῖν, [quæ ſupra nos nihil ad nos. Nemo prudentium de rebus ſuper ſe unquam deliberare ſatagit] *quæſitúmque ob finem*: [De fine enim, ipſo non valet deliberatio, ὕστερον πρότερον, ſed de mediis ad finem tantùm;] quamvis & Finis intentioni & executioni quodammodo conſulendum eſt.

Abſolutum judicium intellectûs jam ſuprà dictum, ſequitur velleitas; comparatum, volitio: verbi gratiâ. Mercator, obortâ tempeſtate, *vellet* quidem *Merces* ſuas in navi conſervare, *mavult* tamen, ut *in ſe bonum*, & eligibilius multò, *rebus ſic ſtantibus*, eas in mare projicere: quod judicat eſſe *melius* quàm *ſeipſum* cum navi ipsâ periclitare & ſeram quærere poſt Naufragium tabulam.

Hæc de Intellectu, ejúſque Actibus; ſequitur dehinc ſecundum Actuum noſtrorum Principium, *Voluntas*.

CAP.

CAP. VI.

De Voluntate.

Voluntas eſt *facultas animæ rationalis; quâ, præeunte cognitione intellectivâ, homo proſequitur Bonum & averſatur malum.* Interea mihi incumbit *actus* ejus & *affectiones* ordine ſuo tractare, &

Primo, *Actus* voluntatis diſtingui poteſt vel in

I. Imperatum; qui ad imperium voluntatis à potentiis illi ſubjectis exercetur, ut *ambulatio*, & ſimilia; vel

II. Elicitum; quem voluntas in ſe immediatè, & ſponte ſuâ Elicit: èſtque hic iterum duplex, *viz.*

I. Negativus; ſeu actus averſationis circa Malum: &

II. Poſiti-

II. Positivus; seu actus prosecutionis circa Bonum. Atque hic Elicitus & positivus voluntatis actus, *circa finem* est triplex; nempe Velleitas, Volitio & Fruitio: *circa media*, duplex; ut electio & applicatio.

Quoad finem:

I. *Velleitas*; quæ actus est suspensus & inefficax, quo voluntas fertur in *Bonum*, sinè proposito consequendi: quia scilicet, vel consequi illud omnino non potest vel non satìs commodè & in tuto.

II. *Volitio*; quæ & intentio dicitur, βούλησις, apud græcos; hic actus voluntatis exercetur circa *finem*, cum proposito consequendi.

III. *Fruitio*; quæ est complacentia voluntatis in *fine* ipso acquisito.

Quoad media:

I. *Electio*;

I. *Electio*: quæ græcè προαίρεσις, eſt, quâ voluntas, præunte debitâ deliberatione, ex pluribus *Mediis* alia præ aliis eligit.

II. *Uſus*, ſeu *Executio*; eſt Actus, quo voluntas media adhibet electa, & applicat ad finem obtinendum.

Ordo actuum intellectus practici & voluntatis ſic inter ſe mutuò habet: Primò, intellectus finem proponit; tum eundem voluntas vult & intendit. Deinde cogitat intellectus de mediis; & cùm plura ſeſe offerunt, inſtitutâ comparatione; commodiora præ cæteris proponit: ea ſtatim voluntas approbat ac eligit, & poſtremò membra corporis movet ad media illa exercenda, ut per ea finem ſibi propoſitum conſequantur. Jam ſtatuendum eſt proinde *deliberationem* & *Electionem* requiri ad omnem actum humanum.

Hactenus de *actibus* voluntatis; proximè ſequuntur ejus *Affectiones*.

Secundò,

Secundò, Affectiones voluntatis ſunt duæ,

Prima, Libertas; quam obtinet in propriis ſuis actibus vŏlendi.

Secunda, Imperium; quod exercet in reliquas potentias ſui juris.

I, *Libertas*, græcè ἀυτεξυσία, eſt Affectio per quam voluntas fit Domina ſuorum actuum; ita ut poſſit agere vel non agere quicquid quantum, & quando lubet; eorum ſcilicet, quæ ſunt ἐφ' ἡμῖν, hoc eſt, opinari vel non opinari, appetere vel non appetere, aliquid in noſtra poteſtate, *&c.* nam ad hæc ſola ſe extendit voluntatis Libertas. E contra, opponitur huic libero agenti agens neceſſarium, quod ad unum aliquod agendum determinatum eſt, agítque ſolùm quando & quantum poteſt; ut ignis non poteſt non comburere, habili applicatâ materiâ. Hoc autem ad illuſtrandam modò noſtram, non eſt noſtræ provinciæ Moralis.

Liber-

Libertas, alia eſt *contradictionis*; *contrarietatis*, alia; ut loquuntur Scholæ:

I. *Contrarietatis*, ſeu quoad Specificationem actûs; quâ voluntas pro ſuâ libertate poteſt agere hoc vel illud; velle hoc objectum præ alio, aut etiam velle vel nolle.

II. *Contradictionis*, ſeu quoad Exercitium actûs; quâ poteſt agere vel non agere, actum ſuum ſuſpendere vel exercere.

Priorem verò libertatem non habet voluntas, nam circa unum & idem objectum non poteſt bonum nolle aut malum velle. Sed poſteriorem ſibi vendicat circa quodcunque objectum; excepto ſolùm *Ultimo fine*, quem neceſſariò vult, non liberè: non poteſt enim illum non appetere.

Nolo plura de tritis illis diſtinctionibus *indifferentiæ* in *Paſſivam*, quæ eſt in patiente diverſarum formarum

marum capaci; in *Objectivam*, quando plura proponuntur objecta; in *Activam* & *Subjectivam*, quæ est in agente & libertatem hanc pro arbitrio voluntatis exercente. Taceo *absolutam* & Conditionatam Indifferentiam, cum multis aliis. Jam verò Liberum Arbitrium dari, nemo Oxonienſium ſpero, cum fatalis Neceſſitatis hominibus fautoribúſque *prædeſtinationis* divinæ, inficias ibit.

II. *Imperium* voluntatis in reliquas potentias eſt; vel,

Primò, *Politicum*, ceu Civile; cùm potentiæ, quibus imperat, in aliquibus parent, in aliis verò non: *Civium* inſtar, qui in nonnullis habent Jus contradicendi. Hujuſmodi Imperium exercet voluntas in *Intellectum* & *appetitum ſenſitivum*. Vel,

Secundò, *Deſpoticum*, ceu Herile; cùm potentiæ quibus

imperat, ſunt ejus penitus mancipia, nec ei in ullis contradicunt: Cujuſmodi Imperium exercet voluntas in *potentiam loco-motivam.*

Hucuſque de *Intellectu* & *voluntate*; reſtat *appetitus ſenſitivus*, tertium illud actuum humanorum principium.

CAP. VII.

De Appetitu Senſitivo & Affectibus.

APpetitus Senſitivus eſt *facultas animæ ſenſitivæ, quâ animal fertur in bonum & averſatur malum, præeunte cognitione ſenſitivâ.* Duplex eſt:

Primò, *Concupiſcibilis* [ἐπιθυμητικὸς] qui verſatur circa bonum vel malum abſolutè & ſimpliciter ſpectatum.

Secundò,

Secundò, *Iraſcibilis* [θυμικὸν] circa bonum vel malum arduum & difficile.

Præterea, ſecundùm *Peripateticos*, & inter eos *Aquinatem*: part. 2. quæſt. 23. art. 4. numerantur ſex ſpecies Appetitûs concupiſcibilis; lib. 2. de Anima, cap. 3. ut,

1. *Amor*; quo Appetitus fertur in *bonum* ut bonum eſt, abſtrahendo ab abſenti & præſenti.
2. *Odium*; quo Appetitus averſatur *malum* ſimpliciter quâ malum, abſtrahendo etiam ab abſenti & præſenti.
3. *Fuga*; quo Appetitus averſatur *malum* abſens.
4. *Deſiderium*; quo Appetitus, è contrà, fertur in *bonum* abſens.
5. *Gaudium*; quo Appetitus ſibi complacet in fruitione *boni* præſentis.
6. *Dolor*; quo Appetitus, denique, cum quâdam inquietu-

dine & perturbatione, versatur circa *malum* præsens.

In appetitu Irascibili verò inveniuntur tantùm quinque Affectus. *Viz.*

1. *Spes*; quâ Appetitus fertur in bonum absens, *arduum*; sed possibile obtineri.
2. *Desperatio*; quâ Appetitus versatur circa bonum absens, quod æstimatur obtineri non posse.
3. *Timor*; quo Appetitus horret malum imminens, insuperabile. De hoc Metu vide sis *Ciceronem* in lib. 4. Tuscul. quæst. ubi ingeniosè admodum explicat *Tantali* fabulam à poetis confictam. *Timor addidit alas Lepori.*
4. *Audacia*; quâ quis accingit se adversùs malum Appetitûs superabile.
5. *Ira*; est Appetitus vindictæ, ejúsque publicæ non privatæ, propter

propter injuriam illatam.

Inter hos affectus tam Iraſcibiles, quàm concupiſcibiles, qui omnes ſunt omnino ſimplicis & indifferentis, naturæ, reperitur duplex contrarietas;

Prima, ratione objectorum; ut inter *ſpem* & *metum:* hæc enim verſatur circa bonum; hic, circa malum.

Secunda, ratione terminorum, ſeu acceſſûs & receſſûs; ut inter *ſpem* & *deſperationem*, quarum utraque verſatur circa bonum idémque objectum: ſed *ſpes* ad illud bonum accedit tanquam *terminum ad quem*; *deſperatio*, è contrà, ab eo recedit tanquam *termino à quo.*

Actus quiſque intenſus Appetitûs ſenſitivi appellatur *affectus*; & metonymicè, dicitur *Paſſio.*

Paſſiones, aliæ ſunt

1. *Simplices*; quæ in ſe, & quoad *ſpeciem*, nec bonæ ſunt nec malæ, ſed indifferentes omnino: bonitatem autem & malitiam à circumſtantiis accipiunt. Aliæ,

2. *Mixtæ*; quæ, quoad *individuum*, ſemper aliquid virtutis aut vitii admixtum habent; ut *Invidia*, ἐπιχαρεκακία, *&c.*

Simplices hæ Paſſiones apud *Stoicos* ſunt, 1. *Deſiderium*, circa bonum abſens; 2. *Lætitia*, circa bonum ſive præſens ſive abſens; 3. *Fuga*, circa malum ingruens, imminens; 4. *Triſtitia*, circa malum præſens. *Boethius* quatuor etiam refert hiſce verſibus; *lib.* 1. *metr.* 7. 'Gaudia pelle; Pelle timorem; 'ſpémque fugato; nec dolor adſit: ſed de numero *Paſſionum* parum refert diſputare.

Ne multis; indifferentiam Paſſionum *ſimplicium* abundè paſſim evincunt

evincunt *Sacræ Scripturæ.* Epheſ. cap. 4. com. 26. *Iraſcimini, & nè peccate.*

Pauca interim de Affectibus, in genere. *Affectus* eſt *motio appetitûs ſenſitivi cum non naturali mutatione corporis ab objecto bono vel malo, à phantaſiâ propoſito & æſtimato. ad* illud *conſequendum, hoc vitandum.* Affectus igitur non tendunt in objectum ſub ratione *Veri* aut *Falſi*; ideóque non ſunt *Opiniones* & *Judicia,* uti *Tullius,* ad mentem *Stoicorum,* lib. 4. Tuſcul. nec pertinent ad cognoſcentem ſed appetentem facultatem: Hinc omnes virtutes aut vitia naſcuntur.

Modus autem, quo oriuntur & concitantur Affectus, dextrè hic percipiatur.

Primò, Objectum incurrit in externos ſenſus; ab his defertur ad internos, præſertim phantaſiam. Phantaſia objectum cognitum judicat; ſítne bonum vel malum; ju-

cundum vel moleſtum; ſalutare vel noxium; facile vel difficile; non ſimpliciter tantùm, ſed præterea etiam reſpectu noſtrî. Dein excitatur ac movetur Appetitus ſenſitivus ab illo judicio. Conſequitur ſtatim perturbatio Spirituum vitalium per arterias, ex corde, in totum corpus diffuſorum; Motis Spiritibus, & Cor & præcordia commoventur. Hæc enim aut frigeſcunt, aut incaleſcunt, aut contrahuntur, aut dilatantur; & inde homo, quò *vult*, membra flectit, contorquet, porrigit, contrahit, expandit, variiſque motibus & *affectibus* movetur. Vide Hereboord. Coll. Eth. diſp. 13. p. 57,58. Quomodo accipiendum eſt illud *Galeni* vulgatiſſimum; ſcilicet, *Mores animi ſequuntur corporis Temperamentum.*

Nequeo non unicum hoc hìc loci obſervare; quod Affectus ſeſe exerunt in infantibus atque invaleſcunt

valeſcunt antè rationis uſum, confirmati conſuetudine: atque hæc eſt cauſa cur homines, ſi ſibimetipſis permittantur, potiùs κατὰ πάθος quàm κατὰ λόγον vitam inſtituant. Σίρεβλὸν ξύλον οὐδέποτ' ὀρθόν. Galen. de puls. diff. lib. 4.

Sufficient hæc de *Principiis*, proximè de actuum noſtrorum affectionibus agendum eſt.

CAP. VIII.

De Affectionibus actuum Humanorum; Invito, & Spontaneo.

AFfectiones; vel, ſi mavis, Differentiæ actuum humanorum, ſunt

Primò, *Invitum* vel *Spontaneum* eſſe;

Secundò, *Bonum* vel *Malum* eſſe.

1. *Invitum*, græcè ἀκούσιον, aliud eſt.

I. Ex *violentiâ*; quod provenit à principio extrinſeco, ſatìs valido, non concurrente paſſo: veluti cùm quis *alium* vel *ſemetipſum* verberare cogitur. Hujuſmodi violentia *voluntati* ipſi non poteſt inferri, ſed *corpori* ſolummodò; ſive actui voluntatis *imperato*, non autem *elicito*. Aliud

II. Ex *ignorantiâ*; quoniam verò non omnis ignorantia actionem reddit invitam: idcirco diſtinguendum eſt de Ignorantiâ.

1. Ignorantia, alia eſt *Juris*; éſtque vel,

Primò, *Juris Univerſalis*; quâ ignorantur communia præcepta juſti & injuſti: ex. gr. *utrum homicidium ſit peccatum, nécne.* Vel, Secun-

Secundò, *Juris Particularis*; quâ ignoratur ſpeciale aliquod & extraordinarium præceptum: verbi gratiâ; *Carnes non eſſe comedendas hoc vel illo die.*

2. Alia ignorantia eſt *Facti*; cùm quis ignorat ſe id facere quod reverà facit: ut ſi quis forſan hominem in ſpeluncâ latentem pro cervo interfecerit; quamvis probè novit Homicidium non eſſe licitum, *ignorat* tamen hoc *factum* eſſe homicidium.

Hæc rursùs ignorantia eſt vel,

1. *Invincibilis*; cùm quis omnem, quam poteſt & debet, adhibet diligentiam, ut *ſciat*, nec tamen ſcire poteſt. Vel,
2. *Vincibilis*; quam quis debitâ diligentiâ facilè tollere poteſt: éſtque hæc duplex.
   I. *Affectata*; quam aliquis procurat fingítve, ut inde excuſetur; veluti ſiquis aures ſuas occludat, nè audiat edictum Regis. II.

II. *Craſſa* vel ſupina, & ex negligentiâ profecta: ut ſi Magiſtratus peccet contra Statuta Regni, quæ ille nunquam legerat; quæ non putârat.

Ignoratio igitur Invincibilis; ſive ſit *Facti*, ſive *Juris* cujuſcunque, qualis eſt in iis qui non ſunt mentis compotes, actionem reddit *invitam*; adeóque eam excuſat non à *tanto* ſolùm criminis, ſed etiam à *toto*: quia nemo tenetur ad impoſſibile.

2. *Spontaneum*, græcè ἑκούσιον, eſt affectio actûs qui provenit à principio intrinſeco; ſive inſtinctu proprio; ſive cognitione circumſtantiarum, quomodò dici poteſt *voluntarium*; atque eſt duplex,

I. *Formaliter*, directè & in ſe voluntarium; in quod voluntas fertur expreſsè & immediatè: ut ſi quis gladium extrahat cum propoſito aliquem tranſfigendi,

figendi, & transfigat, Homicidium inde commiſſum jure interpretatur directè voluntarium ; quantumvis licèt, nullâ facti malevolentiâ præmeditatâ, aliiſque circumſtantiis caſus reddatur favorabilis.

II. *Virtualiter*, indirectè, & in alio ; cum voluntas non fertur expreſsè & immediatè in ipſum, ſed in proximam illius cauſam : veluti cùm quis vult *cibum* comedere quem novit ſuæ ſaluti noxium. Morbus indè contractus dicitur eſſe voluntarius ; non autem *in ſe*, ſed tantùm *in causâ ſuî*.

Obſervandum eſt interim diligenter inter actiones purè *Spontaneas* & purè *invitas* dari quaſdam *medias* actiones ; hoc eſt, partìm ſpontaneas, partim invitas : Quæ propterea *mixtæ* vocantur ; quales ſunt illæ, quæ metu extorquentur. Veluti, cùm viator latroni dat crumenam

menam ut ſeſe incolumem ſervet.

Hujuſmodi Actiones poſſunt conſiderari dupliciter;

Primò, Abſolutè & in ſe; & ſic ſunt invitæ. Nam *Carolus* II. certùm *Olivero* cedere noluiſſet, niſi vitæ potiùs conſilio quàm Regni tenendi, & præ juſtâ Capitis ſui plectendi formidine.

Secundò, Reſpectu finis, cujus gratiâ fiunt; & ſic ſunt voluntariæ. Quis enim non vult, ídque libentiſſimè, Divitias cum *Crate*, in mari mergere, & pecuniam amittere potiùs, quàm vitam aut Felicitatem?

Hactenus de Invito & Spontaneo; ſuccedit jam altera actuum humanorum affectio; ſcil. Bonitas & Malitia.

CAP.

CAP. IX.

De actuum humanorum Bonitate & Malitiâ.

Bonitas actionis moralis eſt *conformitas ejuſdem ad rectam rationem, tanquam ad amuſſim.*

Malitia moralis, è contrario, *eſt deformitas actionis à rectâ ratione.*

Actiones humanæ, in genere, ſunt triplices,

1. Simpliciter bonæ; ut Deum colere; Regem honorare, *&c.*
2. Simpliciter malæ; ut furari, rebellare, mœchari, *&c.*
3. *Adiaphoræ* aut indifferentes; ut bibere, carnem edere, *&c.* non Helluonis inſtar.

Hæ autem actiones *Adiaphoræ* ſpectari poſſunt dupliciter;

Primò,

Primò, in ſpecie, & quoad ſubſtantiam, ſeu earum eſſentiam; & ſic ſunt omnino *indifferentes:*

Secundò, in individuo, & quoad earum circumſtantias aut legalem impoſitionem; & ſic ſunt ſemper bonæ vel malæ, prout benè vel malè, à circumſtantiis ornantur. Vide ſis *Sanderſonum de Obligatione Conſcientiæ*, reſpectu legum Humanarum & Ceremoniarum Eccleſiæ.

Circumſtantiæ iſtæ, è quibus Actiones bonitatem & malitiam ſumunt, hoc verſiculo notabili complectuntur, *viz.*

Quis; quid; ubi; quibus auxiliis; cur; quomodò; quando.

Hæ omnes, ſi ſunt debitæ, actum reddunt moraliter bonum; ſin una aliqua circumſtantiarum

aut,

aut plures ſint indebitæ, actus erit peccaminoſus ſeu malus : juxta vulgare illud veritatis axiôma. *Bonum eſt ex integrâ causâ ; malum, è quolibet defectu.*

Ad hæc, nullam dari actionem moralem poſſe, in univerſali ſpectatam, ſed tantum in *particulari*, omnium circumſtantiarum expertem meritò tenemus.

N. B. Bonitas & malitia exterioris actûs pendent à bonitate & malitiâ voluntatis ſive interioris : & exinde Liberi Arbitrii vindicem atque ὑπεξαιρετὴν, acerrimum ſeſe prodit Philoſophus, Eth. ad Nicomach. lib. 3. cap. 5. & alibi.

CAP.

CAP. X.

De mediis ad finem Ethicæ Philoſophiæ.

MEdia, quibus ad Felicitatem perveniatur, ſunt virtutes omnes; &, ut nonnulli addunt ex *Ariſtotele*, *Amicitiæ*; aut mutua hominum *Officia*, cum *Tullio*.

Virtutes ſunt vel,

1. *Intellectuales*; quæ dicuntur habitus animæ, quibus mens ad operationes ſuas obeundas diſponitur: súntque hæ iterum vel,

I. *Speculativæ*; quæ in ſolâ veritatis ~~virtutis~~ ſpeculatione conſiſtunt; ut, *Intelligentia*, *Sapientia*, & *Scientia*: vel,

II. *Practicæ*; quæ cognitionem ad opus aliquod ordinant,

dinant, dirigúntque: ut *Prudentia* & *Ars*.

2. *Morales Virtutes*; de quibus jam ordine quamque ſuo tractare, inſtitutum eſt in ſequentibus: ſed imprimis de *Prudentiâ*, tanquam aliarum omnium *Coryphæo*.

CAP. XI.

De Prudentiâ.

PRudentia, Moralis ſcilicet; quæ ſola inter virtutes intellectuales ad Moralem ſpectat Philoſophiam; eſt *habitus intellectûs practici cùm rectâ ratione activus circa ea quæ ſunt homini bona vel mala*: ſeu breviùs, eſt *recta ratio agibilium ſive rerum agendarum*; éſtque duplex,

Primò,

Primò, Agibilium univerſalium; quâ præcipitur, verbi gratiâ, cibo potúque moderatè utendum eſſe. Hæc aliàs dicitur *Syntereſis*, quæ eſt habitus principiorum practicorum nobis à naturâ inditorum.

Secundò, Agibilium ſingularium; quâ huic homini, hoc tempore, hic cibi potúſve modus præſcribitur:

Illa dicitur Prudentia practica ſolùm, *hæc* practicè practica, ut dicam; licèt enim utraque ad praxin ordinetur; *hæc* tamen directiùs & immediatiùs, *illa* remotiùs & quaſi è longinquo; unde eſt quòd Prudentes ii dicuntur, non tam qui de Agibilibus in univerſali rectè judicant, quàm qui nôrint quid ſit *hìc* & *nunc* agendum pro ratione circumſtantiarum.

Prudentiæ cauſæ ſunt

1. *Præcepta*, quæ ſuppeditant cognitionem univerſalium.

2. *Ex-*

2. *Experientia*, quæ particularium notitiam exhibet.

N.B. Conſilium vir prudens init non tam de *univerſis* quam de *ſingulis*; univerſalia enim vivendi præcepta & leges, magìs certæ ſunt & definitæ, quàm ut conſultationem requirant. Quomodò autem *ſingulæ* actiones ad normam virtutis componendæ ſunt, longè obſcuriſſimum eſt propter maximam circumſtantiarum varietatem, à quibus actionis cujuſque particularis rectitudo dependet; jam verò prudentis eſt eas rectè applicare.

Prudentia cum virtute morali neceſſariò eſt conjuncta, & pro ipſâ unicâ omnium virtutum catenâ habetur: adeò ut

Primò, nemo mortalium bonus poteſt eſſe abſque prudentiâ; hæc enim ſola virtutibus moralibus præſidet, & dictat quod in quâque re agendum eſt.

Secundò,

Secundò, nemo vir prudens eſſe poteſt, è converſo, ſine *virtute morali*: vitioſitas enim mentem occæcat, ejúſque judicium pervertit dementátque.

CAP. XII.

De Virtute morali in genere.

VIrtus moralis eſt *Habitus Electivus, in mediocritate conſiſtens quæ penes nos eſt & judicio viri prudentis definitur.* Virtutem eſſe habitum ex eo evincitur, quòd neque eſt *Affectus* nec *Facultas*: tantùm enim hæc tria ſunt in animo viri; *Affectus*, *Facultas* & *Habitus*. Cùm autem nec bonus quiſquam nec malus appelletur, aut ab affectibus aut facultatibus, ſed à virtutibus ſolùm denominamur boni, &

& à vitiis mali; relinquitur ergò virtutem eſſe *Habitum:*

Nota virtutes morales eſſe in appetitu ſenſitivo objectivè ſeu influxivè; in voluntate verò ſubjectivè. Virtutes enim ſunt habitus *Electivi,* quales appetitui ſenſitivo non competunt.

Objectum Virtutis eſt duplex:

1: Internum, ut primùm ſunt Affectus; & dein primo actu, ut voluptas & dolor.

2: Externum, quod, pro conditione virtutum ſpecificâ, varium eſt & multiplex:

Forma virtutis eſt *mediocritas* in affectibus & actionibus; in iis ſcilicet quæ ſunt mediocritatis capaces. Virtus autem bifariàm ſpectari poteſt, vel κατὰ τὴν οὐσίαν καὶ τὸν λόγον, &c. *i. e.* ſecundùm ſubſtantiam ſeu eſſentiam; quomodo virtus medium eſt inter extrema vitia, quæ ſibi invicem opponuntur ut extremum extremo; ſed virtuti,

virtuti, ut extrema medio, contrariantur: vel, κατὰ τὸ εἶναι ἄριστον, quomodo virtus ipsa extremum est, & duo vitia alterius extremi rationem habent. Lib. 2. Eth. c. 6.

Medium est duplex,

Primum, & *Arithmeticum* sive rei; quod æqualiter distat ab extremis, & semper idem est; ut numerus par respectu duorum utrinque imparium.

Secundum, & *Geometricum* sive rationis, quod unicuique convenit; quod neque nimiùm nec parùm; neque rationem excedat, nec ab eâ deficiat.

Virtutes hinc positæ sunt in medio rationis, non rei:

Primò, ob earum inæqualitatem, & proximiorem remotiorémve à vitiis distantiam, ut ratio postulat:

Secundò, quia virtutis est se accommodare ad varias circumstantias pro judicio prudentis.

Virtus,

Virtus, quoad *qualitatem* & intenſionem, eſt diviſibilis; non quoad *quantitatem*: quod enim vel minimò recedit à virtute, peccatum eſt. Hæc autem Diviſibilitas non *Mathematicè*, ſed *Ethicè* conſideranda eſt; hoc eſt, cum aliquâ qualicunque latitudine: ἔστι γὰρ φεύγειν ὁ μᾶλλον παρεκβαίνων τοῦ δεῖ καὶ ὁ ἧττον. lib. 2. Eth. c. 9.

CAP. XIII.

De causâ efficiente Virtutis Moralis.

Virtus moralis non eſt effectivè.

I. A *temperamento* corporis; cùm hoc non ſit in noſtrâ poteſtate, ut *mores* ſunt: nèque,

II. A *naturâ*; ſic enim eſſet & immu-

immutabilis, & ad eam amplectendam alendámque frustrà instituerentur pœnæ & prœmia. Virtus tamen est à naturâ, sicut etiam à temperamento corporis, dispositivè, & prout *naturale* opponitur disconvenienti & violento; non item ut pugnat cùm *Voluntario*.

III. *Institutioni* aut *Doctrinæ* non in solidum debetur virtus, nisi *directivè* tantùm: Hæc enim absque consuetudine & praxi parùm prosunt.

Relinquitur ergò ut *consuetudo sive frequens bonarum actionum exercitium sit præcipua & proxima virtutis causa:* ut enim fabri fabricando, sic homines justè agendo evadunt justi, audiúntque prudentes.

Actiones, è quibus oritur Virtus ejúsque perfectio, sunt Bonæ; licèt incompletæ: & proinde ejusdem speciei habentur cum actionibus

onibus virtutem eam comparatam ſequentibus.

Jam ad virtutem conſequendum hæc tria præcepta ſunt ſtudioſè obſervanda.

I. Maximè ab eo vitio declinandum eſt quod virtuti maximè adverſatur.

II. Ab eo etiam, ad quod naturâ ſumus maximè proclives.

III. Suſpectum habere, quicquid ſenſibus noſtris ſe ſub voluptate commendare ſolet.

Signum tamen acquiſitæ Virtutis eſt *voluptas animi* ex bonis actionibus percepta.

Virtutes, ſi perfectæ ſunt, omnes vînclo prudentiæ inter ſe connectuntur.

N. B. Virtutes nobis non inſunt à naturâ. Quo fit ut neſciam an *Tullio* ſit aſſentiendum dicenti: *Nec eſt quiſquam gentis ullius, qui Ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non poſſit.* lib 1. de legibus.

Sequuntur jam Virtutes in ſpecie, ubi Pietati tanquam Reginæ meritò aſſurgunt omnes.

CAP. XIV.

De Pietate.

Pietas, ſtrictè, eſt *Virtus Deum religiosè ritéque colendi.* Pietas verò latiùs accepta cultum illum divinum, qualis omnium mortalium animis infixus eſt, denotat. Deo cultum ſive pietatem deberi evincit admiranda ejus in mundi fabricâ relucens ſapientia & ſpecialis in hominum ſocietatem bonitas.

Cultus ille eſt duplex; vel,

I. Internus, ſive animi; qui conſtat ex *Amore* & *Timore.* Vel,

II. Externus, ſive corporis; cujus potiſſima pars eſt *precatio:* Cujúſque duæ ſunt Species;

cies; 1, *Petitio*; 2, *Gratiarum Actio.*

Hinc Actus externus ſine interno, *Deo* non eſt gratus.

Pietati in exceſſu opponitur *Superſtitio*; in defectu, *Indecorum* Schiſmatis fanatici; *Impietas*, ut *Atheiſmus.*

Contra *Atheos* verò; *eſſe aliquam Præſtantem, æternámque naturam, & ſuſpiciendam admirandámque hominum generi, pulchritudo Mundi, ordóque rerum Cæleſtium cogit confiteri.* Cicero de divinatione, lib. 2. ad finem.

Hæc de *Pietate* reſpectu *ſubjecti* noſtri, quatenus eſt Virtus *Moralis*; eam verò reſpectu *Objecti* divini *Theologis* relinquimus pleniùs conſiderandam.

CAP. XV.

De Virtutibus, in ſpecie ; & ad Hominem.

FUit *Pietas* quæ Deum reſpicit ; ſequitur *Probitas*, quæ in Officiis humanis occupatur. Cujus vulgò numerantur duodecim ſpecies ; Primò, *Prudentia*, quæ tamen, ut ſuprà oſtenſum eſt, meliùs ad *Intellectuales* refertur virtutes ; 2, *Fortitudo* ; 3. *Temperantia* ; 4, *Juſtitia* ; 5, *Liberalitas* ; 6, *Magnificentia* ; 7, *Magnanimitas* ; 8, *Modeſtia*, circa honores ; 9, *Manſuetudo*, circa Paſſiones ; 10, *Veritas* ; 11, *Lenitas* ; 12, *Urbanitas*. Quarum aliquæ gradu potiùs, quàm eſſentiâ & ſpecie diſtinguuntur ; niſi cum nonnullis dicamus *magis* & *minùs* in *Ethicis* diverſificare ſpeciem.

De

De juſto autem virtutum numero inter antiquos & recentiores Philoſophos nondum ſatìs conſtat: nam *Renatus* vult *Unam ſolummodò virtutem*; agnoſcit autem varia (propter varietatem, uti *loquitur*, objectorum) nomina eſſe ſortitam; quam quidem ponit in perfectâ animi tranquillitate & interiori ſatisfactione, ad beatitudinem perducere poſſe, & per ſe ſufficere, & quam quemque conſequi poſſe contendit; modò tres haſce regulas morales ab illo in diſſertatione de methodo poſitas attendat, *viz.*

Prima eſt, ut conetur ingenio ſuo quàm poterit optimè uti ad ea, quæ in omnibus vitæ caſibus vel facere debet vel fugere, cognoſcenda.

Secunda; ut ſit in firmo ſemper & conſtanti propoſito ea omnia faciendi, quæ ſua ipſi ratio ſuadebit, nec paſſioni-

bus ſuis aut appetitibus ab hoc abduci ſe patiatur : Atque hujus propoſiti firmitudinem pro *Virtute* habendam cenſet.

Tertia; ut attendat quòd, quamdiu ex ratione quantùm fieri poteſt ſe gerit, bona illa, quibus tunc caret, omnia ſunt abſolutè extra ſuam poteſtatem; atque hâc ratione iis non cupiendis aſſueſcat : Nihil eſt enim præter Deſiderium & Pœnitentiam quod tranquillitatem noſtram turbare poſſit. Sed ſi illud ſemper fecerimus quod noſtra nobis ratio dictat, nunquam erit cur nos pœniteat, eventu licèt conſilia noſtra faliente; non enim culpâ noſtrâ factum eſt. *Des-Cartes :* Epiſt. parte 1. Epiſt. 4.

Verum enimvero litem hìc movere

vere quot ſint Virtutes morales, eſſet cùm *Muſcâ* in fabulâ jactitare de pulvere concitando: nam quotcunque ſunt, earum Numerus ſolummodo nullum reddet virtute præditum; nullum, Felicem.

Ex Virtutibus autem iſtis jam enumeratis, Quatuor priores vocantur *Cardinales* ſive *Heroicæ.*

CAP. XVI.

De Fortitudine.

DE *Prudentiâ* actum eſt ſuprà, proximè tractanda eſt *Fortitudo*; quæ eſt *Virtus ſervans mediocritatem in metu & fiduciâ.* Objectum ejus eſt Duplex.

I. *Internum*; Δειλία, *metus*; ſeu potiùs, *meticuloſitas*; *ac*, θράσος, *præceps Audacia.*

II. *Externum*; quod eſt in genere φοβερόν, quicquid timo-

rem poteſt incutere ; modò malum *inhoneſtum* non ſit, ſed *triſte*: & præſertim *Mors Bellica*

Officium viri *fortis* eſt intrepidè aggredi & conſtanter ſuſtinere pericula honeſtatis causâ ; ídque *ubi*, *quando* & *quomodo* oportet.

Fortes ergò non ſunt ; Primò, αὐτοφόνοι, *Suicidæ* ; qui violentas ſibi manus injiciunt. Eſt enim damno reipublicæ privari vel unico ſubditorum ; & præterea *Rex* ſolus vitæ & necis poteſtatem habet. *Suicidium* eſſe licitum omnes uno ore negant, puto, præter ipſum *Suicidam*. Nec,

Secundò, Μονομάχοι ; qui duello congrediuntur, propter privatam Honoris neſcio cujuſdam læſi Vindictam : ſic perduellium genus. Nam *magiſtratûs* eſt injurias in foro dijudicare ; & non privati cujuſque hominis malè audientis

entis aut quàm peſſimè provocati ſe ſuo gladio clanculùm vindicare; ſic enim evaderet ſui ipſius Criminis Judex, & ſuo arbitrio *fortiſſimus* proculdubio Juſtitiæ antiſtes. Nec,

Tertiò, Quicunque malo affectu concitati ſeſe temerè in pericula conjiciunt; contra jura aut Belli aut Pacis. Qualis temeritas in pleroque ferè omni tam *Marte* quam *Mercurio*. Quales prodeunt Heroes bellicoſi, qui ſæpenumerò Famam furore, & ſalutem deſperatione quærunt. Neque.

Ultimò, Fortes habentur qui prædæ cauſa præcipuè militant, audéntque vitas ſuas Avaritiæ ſacrificare. Nec Principes denique fortiſſimi audiunt, qui juſtiſſimo Bello pacem præferunt injuſtiſſimam; ignavam, fraudulentam, Meticuloſam.

Forti-

Fortitudini duplex exceſſus opponitur, ut & duplex defectus: Alter in *metu*; alter in *fiduciâ*. Defectus in metu, proprio nomine caret; docendi verùm causâ vocari poteſt ἀναλγησία, hoc eſt, *indolentia*: Exceſſus in *metu* appellatur δειλία; eodémque nomine ſignificatur defectus in *fiduciâ*; *Latinè*, *Timiditas* dicitur & *ignavia*. Exceſſus in *fiduciâ* dicitur θράσος, i. e. *Audacia*, lib. 3. Eth. cap. 7. Quanquam cùm de Affectibus agitur; *Audacia* non vitioſum habitum, ſed ſpeciem Affectûs denotat. Burgerſdic. Ideæ Phil. Mor. cap. xiv. §. 23. pag. 136.

CAP.

CAP. XVII.

De Temperantiâ.

Temperantia eſt *virtus ſervans mediocritatem in voluptatibus guſtûs & tactûs.* Objectum ejus eſt, vel,

I. Internum ; ut *Cupiditas.* vel,

II. Externum ; ut *voluptas,* & omnia quæ eam afferunt, non animi nec auditûs, visûs & odoratûs, niſi ſecundariò tantùm & per accidens, quatenus memoriam reficiunt aut ſpem faciunt illarum voluptatum quæ ad *guſtum* aut *tactum* directè pertinent.

Officium viri Temperantis eſt inhoneſtas voluptates prorſus averſari ; licitas & honeſtas moderatè

deratè appetere, & eiſdem frui eo quo oportet modo.

Temperantiæ opponitur in :

I. Exceſſu, Ἀκολασία, ſeu Intemperantia.

II. Defectu, Ἀναισθησία, ſeu Stupiditas. Nec enim, Temperantiam ſapit, nimiùm indulgere genio crapulæq; nec mortificare nimiùm. Dedecet quemvis ſeſe inebriare ; ſtupidus tamen eſt qui poculum vitæ ſuæ neceſſarium ſibi denegat. Æquè temperantis eſt naturam ſuſtentare *Modico*, ac itinerantis fœcundâ ſatìs calice & uberiori *viatico* eandem feſſamque refocillare.

Cupiditates ſunt duplices :

1. *Naturalis*, & toti ſpeciei Communes ; quales ſunt cibi & potûs.

2. *Adventitiæ*, & unicuique particulares ; qualis eſt deſiderium hujus vel illius potûs, ſecun-

ſecundùm *proverbium* illud tritum, *Quot Homines, tot ſententiæ*; vel Anglicè, meliùs, & ad propoſitum magìs, **One Man's meat is another Man's poyſon.** In his maximè, ídque in exceſſu eſt peccatum.

Temperantiæ duæ ſunt ſpecies;

Prima, *Frugalitas*; quæ eſt in cibo & potu; Cujus extrema in exceſſu ſunt Edacitas & Bibacitas; in defectu, nimia ab his Abſtinentia

Secunda, *Caſtitas*; quæ eſt in *Venere*, & rebus ad eam pertinentibus.

N. B. Intemperans eſt pejor, & vituperandus magìs, ignavo & timido; quia Actiones, quibus comparatur *Fortitudo*, magìs moleſtæ ſunt & periculoſæ, quàm quibus acquiritur *Temperantiæ* Habitus.

CAP.

CAP. XVIII.

De Liberalitate.

Liberalitas eſt *Virtus ſervans mediocritatem in appetendis dandis & accipiendis pecuniis.*

Objectum ejus eſt Duplex:

I. Internum ; *pecuniæ Cupiditas.*

II. Externum, éſtque *ipſa Pecunia.*

Quòd in *accipiendo* conſiſtat Liberalitas, exinde conſtat ; quia nil dare poteſt qui nil unquam recepit recipítque : ſed præcipuè in *dando* cernitur hæc Virtus,

Primò; quia dare difficilius eſt quàm accipere. Quiſque manum ſuam danti porrigere valeat, non verò dare. Pluréſque denuo *Chiragrâ* laborant quàm *Crumenâ.*

Secundò;

Secundò; Quia virtutis magìs eſt benè mereri de aliquo, quàm beneficio affici. Ut *Seneca* optimè meruit de genere humano, *Beneficiorum* ſuorum *virtute*.

In *dando* expendendæ ſunt omnes Actionis Circumſtantiæ; *viz. Finis, Perſona, Quantitas* & *Qualitas* beneficiorum, *Tempus, Locus, Animus.* Nam dandum eſt; 1, Honeſtatis gratiâ; 2, Honeſtè merentibus; 3, Habenda eſt & accipientis & ſui ipſius ratio; 4, Donum Utile & Juſtum; 5, Oportet dare citò & opportunè; 6, Hilariter, & alacri animo.

In *accipiendo* vir Liberalis; 1, non eſt petax; 2, accipit verecundè: 3, à Bonis tantùm accipit; 4, recipit ſolummodò quod rectè datur.

Liberalitati opponitur in:

I. Exceſſu; Ἀσωτία, ſeu *prodigalitas*; quæ omnibus ſine diſcrimine profundit. II. De-

II. Defectu; Ἀνελευθερία, ſeu *Avaritia*; quæ, Nullis: ne *obolum* quidem *Beliſario*, nec *Micam Lazaro*: atque hæc eſt deterior *Prodigalitate*, duplici ratione;

Primâ, quia eſt vitium magìs inſanabile.

Secundâ, quia *prodigus* multis prodeſt, & *avarus* nemini; imò, nè ſibi ipſi.

CAP. XIX.

De Magnificentiâ.

Magnificentia eſt *virtus ſervans mediocritatem in magnis ſumptibus*; iiſque ſæpiùs aut circa veſtitum aut victum: unde gradu potiùs quàm ſpecie differt à *Liberalitate:*

Magnificentis eſt ſumtus facere magnificos, pares opibus & ſuis facultatibus; ídque non oſtentationis,

nis, ſed Honeſtatis gratiâ. Ut quàmplurimi, è contra, pompâ theatricâ, Phaleris dapibúſq; pluſquam magnificis, & vivendi Luxuriâ, Fortunam ſatis ſupérque liberalem redegerunt ad aſſem.

Magnificentiæ opponitur

1. In Exceſſu, Βαναυσία, quæ propriè dicitur de eo qui τὸν βαῦνον ἄυει, fornacem accendit; ars enim aliqua *Mechanica* hìc ineptam *Magnificentiam* denotat; ſeu ἀπειροκαλία, Imperitia, aut *Inſcientia* decori: vel, ſi mavis, ἀλαζόνεια, & ſic *inſolentia* erit extremum *Magnificentiæ*.
2. In Defectu, μικροπρέπεια, *ſordes*; ſeu indecora parſimonia, ut Ariſt. Rhet. 1.

CAP.

CAP. XX.

De Magnanimitate & Modeſtiâ.

I. *Magnanimitas eſt virtus ſervans mediocritatem in cupiditate & ſtudio magnorum honorum.*

Objectum ejus eſt ideo, vel,

1. Internum, honoris cupiditas: Vel,

II. Externum, ipſe Honor.

Officium *magnanimi* eſt magnos honores decenter expetere; oblatos modeſtè accipere, eóſque diligenter tueri & conſervare acceptos.

Fundamentum, quo innititur magnanimitas, eſt ipſa virtus; habet enim unaquæque virtus aliquid magnum.

Magnanimus ergo ~~non~~ eſt,

1. Φανερόμισος, vel φανερόφιλος, qui apertè profitetur ſe amicum vel inimicum.

2. Non

2. Non, θαυμάσιος; hoc eſt, non facilè quicquam admiratur, neque ſemper Fronti dat fidem.
3. Non, μνησίκακος; mali à quovis accepti aut injuriæ illatæ memor.
4. Non, Ἀνθρωπόλογος qui nec de ſe neque de aliis liberè loquitur.
5. Non, Κακόλογος; Maledicus, qui opprobriis alios afficit. Invaleſcit hoc vitium *Timonis* illius μισοψευδεώτου indies apud noſtros *Sillographos*; qui felle quaſi ſcribunt, & calumniis contumeliiſq; potiùs rixantur contra *Errorum Authores*, quàm verâ magnanimitate *veritatem* aſſerunt, ponúntve extra contoverſiæ aleam: Adeo ut deventum eſt ferè ad *Argumentum Bacillinum.*
6. Ἐπαινέτικος; non ſui ipſius laudator,

laudator, aut ἀυτιέγκωμαστὴς.

7. Non Φιλοκίνδυνος, qui periclitari amat; nec μικροκίνδυνος nec μετακίνδυνος: h.e. non temerè ſe parvis objicit periculis, ſed magnis; & in iis ἀφειδὴς ἔχει τὸν βίον, non parcit vitæ ſuæ, virtutis ergô.

Magnanimitati opponitur in,

I. Exceſſu, Faſtus, Χαυνότης; quæ eſt inanis & ventoſa Ambitio. Unde protervus ille *Noſtras*, **Wat Tiler**, non erat verè magnanimus, niſi, ut *Phaethon*, in Fabulâ.

II. Defectu, μικροψυχία; puſillanimitas. Taceo Puſillanimos autem quoſdam Principes; hujus ævi *Sardanapalos*; *Omphalen* de *Hercule* triumphantem, & cæteros imbelli quâdam animi demiſſione & pluſquam muliebri nimiùm infortunatos.

In

In *medio* denique Tutiſſimi ibimus cum *Poetâ*; & Feliciſſimi audiemus, cum *Philoſopho*.

II. *Modeſtia*, eſt *Virtus ſervans mediocritatem in cupiditate parvorum Honorum*; unde ita ſe habet ad magnanimitatem, ut Liberalitas ad magnificentiam.

Officium hominis modeſti eſt eos ſolùm honores ambire, qui virtuti ſuæ & meritis facilè debentur; quoſque præſens reipublicæ Status & Occaſio temporum indulget. Modeſtiæ Affines ſunt Æqualitas animi & Humilitas.

Modeſtiæ opponitur in,

1. Defectu, ἀφιλοτιμία; animus ab omnimodâ honorum cupiditate alienus; aut potiùs, *minimorum honorum averſatio.*

2. In Exceſſu, φιλοτιμία *Maximorum*, omniúmque quantumvis extra Virtutis Fines, Ambitio.

CAP.

CAP. XXI.

De Manſuetudine.

Manſuetudo eſt *Virtus ſervans Mediocritatem in iraſcendo & vindicando.*

Objectum ejus eſt duplex,

I. Internum, *Ira*; affectuum omnium vehementiſſima, turpiſſima, pernicioſiſſima, inordinatiſſima.

II. Externum; quicquid *iram* poteſt provocare.

Mediocritas in iraſcendo ſervabitur, ſi iraſcamur ob eas res, *quibus*, *quemadmodùm*, *quando* & *quamdiu* oportet, cum manſuetudine.

Ex irâ oritur *Vindicta*, quæ eſt, vel,

Primò, *Defenſiva*; quam natura ſuadet

ſuadet eſſe licitam. ut quæ ſe defendendo accidit: Vel,

Secundò, *Offenſiva*; quæ eſt vel,

1. *Privata*; quæ non eſt licita, niſi cui abſolutè neceſſaria: vel,
2. *Publica*; quæ non ſolùm licita, ſed & Neceſſaria eſt; in quâ cavendum nihilominùs ne major ſit Pœna quam culpa; & nè magiſtratus in exequendâ ſententiâ pravis affectibus abripiatur.

Manſuetudini opponitur,

I. In exceſſu, ὀργιλότης, *Iracundia.*

II. In Defectu, ἀοργησία, *nimia lenitudo.* Sic ἀπάθεια, ſive immobilitas ſordida *Stoicorum.*

CAP. XXII.

De Veracitate.

*V*Eracitas, *Comitas* & *Urbanitas* dicuntur Virtutes ὁμιλητικαὶ; quia in vitæ quotidianæ conſuetudine ſolent adhiberi.

Veracitas autem eſt *Virtus ſermone, geſtu veſtitúque, atque adeo totâ vitâ veritatem profitendi.*

Nota; Quod *Logicè* falſum, verum *Ethicè* poteſt eſſe.

Veritas eſt triplex,

I. *Metaphyſica*; quæ eſt conformitas rei cum intellectu divino.

II. *Logica*; quæ eſt conformitas conceptûs vel Orationis cum re ipsâ.

III. *Ethica*; quæ eſt Conformitas

mitas verborum, geſtuum & Orationum cum corde.

Verax non ſemper & ubique prodit id quod verum eſt, neque apud quoſvis: immò licet interdum veritatem occultare; indirectâ reſponſione; ambiguis, ſed tamen uſitatis loquendi formulis; interrogationes inſidioſas illudere; vel parte veritatis indicatâ, reliquam reticere. Nemo tenetur ſe ipſum quamvis reum coram tribunali condemnare

Æquivocationes tamen *Jeſuiticæ* ſunt abominandæ; quia tantùm unâ parte Uſitatæ, alterâ planè inuſitatæ, & cum intentione fallendi proferuntur. Abſit eorum mentalis reſervatio. Iſte mendax habeatur qui claudicat, cùm non ſit reverà Claudus.

Veritati, ingenere, opponitur *Mendacitas*; in ſpecie, *Arrogantia:* in exceſſu, *Simulatio*, (ſi vis, *Politica*;) in Defectu, *Diſſimulatio*, ſeu

Hypocriſis quotidiana; *Phariſaica*, aut *Hiſtrionica*. Optimè de Simulatione & Diſſimulatione *Verulamius inſigniſſimus*; ubi vult *Auguſtum*, citatque à *Tacito* æſtimari *Simulatorem*; *Tiberium*, verò *diſſimulatorem*.

Aliud eſt dicere aut referre mendacium; aliud, mentiri; Illud licitum eſt, quando fit (ut ſæpiſſimè) ex ignorantiâ; hoc autem per ſe pravum, cùm ſit abuſus vocum & Auditorum.

CAP. XXIII.

De Comitate & Urbanitate.

I. *Comitas*, quam *Ariſtoteles* impropriè φιλίαν vocat, eſt *virtus ſervans mediocritatem in voluptate, & in civili converſatione* (in geſtibus

geſtibus ſcilicet, ſermonibus & actionibus) *exhibendâ.*

Huic virtuti opponitur.

1. In Exceſſu, ἀρεσκία; nimium aliis placendi ſtudium: ut *paraſitorum* Blanditiæ.
2. In Defectu, δυσκολία; Moroſitas: ut *Cynicorum* quorundam indoles, *Diogenis* in dolio ſuo, & Criticorum noſtri ævi ineptè Eruditorum.

II. Εὐτραπελία, ſeu *Urbanitas* eſt *virtus ſervans mediocritatem in jocis & ludis.*

Aliquam ludendi & jocandi rationem nobis indulgeri è *ſcripturis* videtur. Εὐτραπελίαν enim non ſimpliciter damnat *Apoſtolus*, ſed nimiam licentiam; ut ludere cum ſacris, & ſimilia eorum, quibus quod libet licet, ludibria & ſcommata prophana.

Quæratur an Ludi *Chartarum*, *ſcenici* & gladiatorii ſint liciti? vide *Hereboord.*

Urbanitati Opponitur:

I. In exceſſu; *Scurrilitas*, Βωμολοχία.

II. In Defectu; ἀγροικία, *Ruſticitas.*

CAP. XXIV.

De Juſtitia, Jure, & Æquitate.

JUſtitia, in genere, eſt Duplex:

I. *Univerſalis*; quæ nil aliud eſt quàm omnium virtutum uſus & exercitium: unde *Univerſa Virtus* vocatur.

II. *Particularis*; quæ eſt virtus moralis à cæteris diſtincta; cum illis ſub Univerſali Juſtitiâ continetur: de quibus infrà.

Oritur

Oritur autem hæc *Juſtitiæ* diviſio, à duplici reſpectu hominis;

Primo, ad *rempublicam:* cum quâ comparatur, ut *pars* cum *toto*, & dirigit actiones ſuas ad commune Bonum totius reipublicæ. Unde habitâ Legis ratione νόμιμος dicitur in oppoſitione ad παράνομος, qui eſt violator legis:

Secundo, ad quemlibet *privatum*; cum quo comparatur, ut *pars* cum *parte*. Sic Jus & Æquum inter ſingulos reſpicit.

In Juſtitiâ Univerſali, Quatuor annotanda ſunt;

1. *Objectum* ejus, quod eſt τὸ δίκαιον, Jus; ſeu id quod juri propriè dicto eſt conſentaneum.
2. *Oppoſitum* ejus, quod eſt Injuſtitia; quæ ſe habet univerſaliter, ut ſingula vitia ad virtutes.

3. *Neceſſitas* ejuſdem; quæ eſt Univerſalis in Omnibus: ſed imprimis & præcipuè in ſupremo magiſtratu Neceſſaria eſt; in illo enim maximè requiritur, ut ſit ſummè Juſtus, & omnium virtutum in ſpecie rationem præ ſe ferat; nam ejus Actiones omnium Oculis objiciuntur. Unde qualis ſit magiſtratus indicat virum. *Bias*
4. *Extenſio* ejus denique; éſtque ad omnia ea quæ legibus, quatenus juſtæ, conſentanea ſunt.

CAP.

CAP. XXV.

De Jure.

JUS eſt, *quod recta ratio præſcripſit in uſu mutuæ ſocietatis præſtandum.*

Dividitur generaliter in *Commune*, & *Proprium* ſeu *Civile*: Ab *Ariſtotele* Jus diſtinguitur in *Politicum* ſeu ſimpliciter *Civile*, & *Domeſticum*; ſed hoc ultimum non eſt Jus, niſi analogicè tantùm & *ſecundùm quid.*

Meliùs autem, Triplex eſt Jus.

I. *Jus Naturale*; idque immutabile, cum quo Deus ipſe non diſpenſare poteſt.

1. Quod ubique & ſemper eandem vim obtinet. Hoc omnibus animantibus commune.

2. Quod ſolùm Homines obligat per modum Juris. Hoc Homini proprium.

3. Quod in iis rebus poſitum eſt quæ ſunt communes hominibus & Brutis: ut Bella, Commercia, *&c.* Quamvis tamen contra *Hobbium* tenemus ſtatum Naturæ non eſſe ſtatum Belli.

II. *Jus Gentium*; quod,

1. Eandem habet normam cum Jure naturali; ſcilicet, Rationem naturalem.

2. In iiſ rebus poſitum eſt, quæ ſunt hominibus propriæ.

III. *Jus proprium*; quod quiſque populus ſibi conſtituit: Et quia *Jus Romanum* in pluribus locis acceptum fuerit, κατ' ἐξοχὴν *Jus civile* nuncupatur: Eſtque, vel,

1. *Scriptum*, ut *Senatûs-conſultum*; vel,

2. *Non*

2. *Non ſcriptum*; ſed uſu & conſenſu utentium utcunque comprobatum: ut *Plebiſcitum*; *Edicta Imperatorum*: Atque hoc Jus iterum eſt, vel,

1. *Publicum*, pro pluribus regnis locíſque. vel,

2. *Privatum*; pro quolibet regno, civitate, vel Univerſitate: & hoc dicitur Jus municipale & tutum. Præterea,

Obſervandum de hoc Jure,

Primò, Norma ejus eſt ſalus reipublicæ, & civium publica Utilitas. Utilitas autem per ſe & ſola non eſt menſura Juſtitiæ.

Secundò, non obligat niſi quibus latum & promulgatum: quæ ſunt de naturâ legis.

Tertiò, mutabile eſt; ídque 1. tacito populi conſenſu; 2. latâ lege contrariâ. Conſuetudo enim habet vim legis, &

lex

lex poteſt conſuetudine abrogari.

Quartò, Hujus juris adjunctum eſt *æquitas*; quæ eſt correctio ſeu emendatio legis eâ parte quâ deficit; vel generaliter, eſt benigna legis interpretatio à Judice prudenti, qui mentem ejúſque intentionem potiùs quàm verba reſpiciat.

Extrema *Æquitatis* ſunt,

I. Malitioſa Juris interpretatio, in defectu:

II. In exceſſu; Strictum & ſummum Jus abſque examine circumſtantiarum.

Juris oppoſitum eſt *Injuria*, cujus eſt violatio; & definitur *Damnum*, quod *invito à volente immeritò infertur:* Nam, Primò; volenti non fit injuria: Secundò; Nemo ſibi ipſi injuriam facit; Tertiò; Quodlibet Damnum alicui allatum non eſt injuria

Nota

Nota hic quòd exiſtant ſæpe injuriæ nimis callidâ & malitiosâ juris interpretatione; ex quo illud, *ſummum Jus, ſumma injuria*, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. Tull. Offic. l. 1. §. 14.

Triplex eſt *Damnum*,

1. Quando quis alteri nocet inſciens; & hoc vocatur infortunium, ſeu caſus fortuitus.
2. Quando quis nocet præter intentionem, ſine malitiâ vel animo nocendi; & hoc vocatur erratum, ſeu culpa.
3. Quando quis nocet ſciens, vel ex animo; & hæc eſt *injuria*; quæ infertur, vel,

I. Dolo; quæ ignoranti, vel,

II. Vi, quæ ſcienti infertur.

Qui ſibi manum inferunt, injurii ſunt in rempublicam, non in ſeipſos; & proinde ignominiâ ſolent affici.

Lege & relege *Zouchæum* de Juriſprudentiâ.

CAP.

CAP. XXVI.

De Juſtitiâ particulari.

JUſtitia particularis eſt *Conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi*; ſcilicet, in Præmio, Pœnâ & debito.

Verſatur hæc *Virtus* inter plus & minus tanquam extrema ejus: hoc eſt.

Primò; Qui plus *boni*, quàm par eſt, uſurpat, πλεονέκτης ſive injurius eſt.

Secundò, Qui minus *damni*, vel onerum infert, quàm oportet, eſt etiam injurius.

Objectum *Juſtitiæ* circa quod verſatur eſt ea in quibus bona vel adverſa Fortuna collocari ſolet, quatenus aliis jure debentur.

Medi-

Mediocritas, in quâ conſiſtit, non eſt ſimplex, ut in aliis virtutibus; ſed analogica tantùm: quia eſt *Æquitas*; quæ, inter *Cives* pro ratione meriti, & inter *res* pro ratione partis, requiritur. Eandem autem non habet acquirendi Normam: ideóque duplex eſt *Juſtitia particularis*;

Prima, *Diſtributiva*; quæ in rectâ diſtributione pænarum & præmiorum conſiſtit. De hâc obſervandum.

I. Objectum ejus, quod ſunt Perſonæ publicæ vel privatæ, atque etiam bona vel mala externa. Perſonis autem publicis plus tribuendum eſt quàm privatis.

II. Mediocritas ejuſdem; & ea quam ſervat eſt *Geometrica*, habitâ ratione perſonarum & circumſtantiarum: uti, qui plùs reipublicæ profuit, majori præmio eſt afficiendus, quàm

quàm qui minùs ; &, è contrario, qui magìs læſit rempublicam, majores luat pœnas, quàm qui minùs.

Rectæ *Diſtributioni* opponuntur quædam ſpecies Injuſtitiæ.

1. Τυραννὶς, pœnis injuſtis animos exaſperans : ut *Dionyſiorum* regimina.
2. Προσωποληψία ; quæ non Veritatem reſpicit, ſed alia perſonarum accidentia. Talis autem reſpectus perſonarum non eſt omnino licitus.
3. Socordia ; quæ neque dignis præmia diſtribuit, neque delinquentibus pœnas.

Secunda ſpecies Juſtitiæ eſt *commutativa* ; quæ in contractibus & rectâ inſtitutione commerciorum verſatur.

I. *Medium* ejus, quod ſervat, eſt *Arithmeticum* ; quod æqualitatem rerum ſimpliciter ſpectat proportione *Arithmeticâ*. II. *Nor-*

II. *Norma* ejuſdem, ſive menſura contractuum; quæeſt duplex.

1. *Naturalis*; quæ eſt Indigentia: nam quò plus vel minus ineſt alicui, eò pluris vel minoris eſt pretii.

2. *Arbitraria*, & hominum ingenio excogitata; ut *Nummus*; quemadmodum, ſi mihi opus eſt re aliquâ tuâ, & non aliquid habeam, quo indiges, ad permutationem faciendam, poſſum tibi nummum tanquam ſponſorem dare; ut rectè ſcias te pro indigentiâ tuâ futurâ, quodcunque petis vel à me vel ab alio aliquo, conſecuturum.

Huic Juſtitiæ opponuntur; 1. Contractus inviti; 2. Nimium Lucri; 3. Furtum; 4. Uſura Lucratoria, inter Nummorum fœneratores.

I. Quæ-

I. Quæratur meritò ad quam Juſtitiæ partem pertineat *Lex Talionis.* Exod 22. 25. Juſti enim non eſt apud *nos* par pari referre.

II. Quæratur etiam, quâ pro portione erogandæ ſunt pœnæ pro delictis privatis.

N. B. Súdiis officiiſque ſcientiæ præponenda eſſe officia *Juſtitiæ*, quæ pertinent ad hominum Utilitatem, quâ nihil homini debet eſſe Antiquius, de induſtriâ probat *Tullius*, Off. lib. 1. §. 58.

Hactenus de *Virtutibus Moralibus*, jam ad *ſemi-virtutes* deventum eſt.

CAP.

CAP. XXVII.

De Continentiâ, Tolerantia & Virtute Heroicâ in genere.

DE his tanquam virtutum gradibus tandem agamus: Priores enim virtutes *perfectæ*; hæ *Semivirtutes* vocantur, quæ bonæ ſunt diſpoſitiones, & viam ſternunt ad ipſum virtutis habitum.

Gradus interim Virtutum ſunt Tres, Eſt enim virtus vel perfecta, cujus generis ſunt *Undecim* priùs allatæ; vel, *Imperfecta*, uti *Continentia* & *Tolerantia*; vel, Excellens, ut *virtus Heroica*.

I. *Virtus Heroica* in ſummo virtutis gradu & exercitio conſiſtit.

II. *Continentia* reſpicit Virtutes omnes, quæ affectus ſuos moderantur

derantur in appetitu concupiſcibili : ſpectatur autem præcipuè in iis, quæ ad *guſtum* & *tactum* pertineant. Inde, qui ad *Temperantiam* hanc habet diſpoſitionem, ſimpliciter continens eſt; cùm qui ad alias virtutes eſt *Continens*, tantùm ſecundùm quid *Continens* dicitur.

Semivirtus denique eſt, *quæ mediocritatem ſervat, ſed cum aliquâ difficultate*; affectibus rationis imperio reluctantibus & ægrè parentibus. Atque in hoc à virtute *perfectâ* diſtinguitur : quæ dicitur *perfecta*, cùm & ratio præſcribit quod rectum eſt, affectus ſine ullo reniſu ſequuntur rationis præſcriptum.

Semivirtutes verſantur ; vel,

I. Circa *Voluptates* ; ut, *Continentia.*

II. Circa dolores ; ut, *Tolerantia.*

CAP.

CAP. XXVIII.

Appendix de Semivirtutibus, in ſpecie.

I. *CONtinentia*, eſt *virtus imperfecta, quâ omnes inordinati affectus, rectæ rationi reluctantes, inviti ſubjiciuntur.* Hæc græcè dicitur Ἐγκράτεια.

Objectum ejus eſt Duplex,

1. Primarium; ſcilicet, voluptates Corporis, quæ guſtu & tactu percipiuntur.

II. Secundarium; nempe, Voluptates, quæ percipiuntur ex divitiis, &c.

Extrema ejuſdem ſunt.

Primò, in Exceſſu; *Incontinentia*, quæ contra judicium rectæ rationis pravis conſuetudinibus homines invitos ad peccandum diripit:

ripit : éſtque vel *præcipitantia*, vel *Infirmitas.*

Secundò, In defectu ; cùm quis ne, propter honeſtam voluptatem, aliquid laude dignum ſuſcipit.

2. *Tolerantia*, græcè καρτερία, eſt *Virtus, quâ res adverſas & laborioſas cum quodam dolore conjunctas, honeſtatis gratiâ, magno animo perferimus.*

Objectum ejus ſunt res adverſæ, præſertim ex animi imbecillitate.

Extrema Tolerantiæ ſunt ;

I. In Exceſſu, *Pertinacia* ; vitium, quo quæ moleſta ſunt & adverſa, ſine ullâ Honeſtatis ratione, tantùm ex obſtinatione animi perferuntur.

II. In defectu, *Mollities*, ſeu μαλακία græcè ; quâ nullas planè moleſtias aut dolores honeſtatis gratiâ perferre volumus.

lumus. Hæc autem ſi oriatur ex vitio naturæ, gentis, vel ex morbo, excuſationem meretur.

III. *Virtus Heroica*, eſt virtutis *excellentia, hominem ſupra communem ſeu humanam conditionem elevans.*

Extrema ejus ſunt in,

1. Exceſſu, *Feritas*; quæ humanam appetitionem in ferinam commutat.
2. Defectu, Ignavia ſumma; ut ineptitudo ad omnem virtutis impetum.

CAP. XXIX.

De Voluptate.

Voluptas, ἡδονὴ, non ſumitur hìc loci pro eo quod voluptatem affert, nec pro *Affectu* quo animus movetur; ſed eſt jam, *perfectæ*

perfectæ operationis ſubſequens ſignum.

Hæc virtus eſt duplex,

I. *Animi*; quæ provenit ex ejus habitu perfecto.

II. *Corporis*; quam corpus ſatiſfacere percipit.

Corporis autem voluptas multifariàm dividitur.

1. *Honeſta* eſt; quæ ex honeſtis percipitur actionibus.
2. *Turpis*; quæ, è contrà, ex Inhoneſtis.
3. *Indifferens*; quæ è neutris oritur; aut parum vel Honeſtis vel inhoneſtis.
4. *Pura*; quæ nihil habet admixtum turpitudinis, aut doloris.
5. *Impura*; quæ aliquid Turpitudinis aut moleſtiæ ſibi habet conjunctum.
6. *Humana*; quæ hominis naturæ convenit.
7. Belluina; quæ etiam competit Belluis.

Huic

Huic in genere opponitur *Dolor*, qui oritur ab *imperfectâ Actione* aut vitiosâ; ſeu *Aculeus* ille, apud *Theologos*, ex Conſcientiâ malè Factorum.

CAP. XXX.

De Amicitia.

AMicitia eſt *Benevolentia mutua, non latens:* Eſtque,

I. *Honeſta*; quæ ſolùm propter honeſtatem & virtutis Amorem initur.

II. *Jucunda*; quâ propter voluptatem & jucunditatem plures inter ſe amore & benevolentiâ conjunguntur.

III. *Utilis*; quâ, propter lucrum, plures conjunguntur, & contrahunt familiaritatem; ut apud *Mercatorium Londinenſe.*

Hæc amicitiæ diviſio eſt ratione objecti ; dividitur autem ratione ſubjecti in,

1. Amicitiam æqualitatis, inter homines ejuſdem dignitatis : ut, *Fratres, ſodales*, &c.
2. Inæqualitatis ; ut inter Patrem & Filium ; Regem & ſubditum, *&c.*

Amicitiæ in ſpecie Opponitur,

I. In defectu, ἀφιλία ſeu μισανθρωπία, Fuga hominum ſociabilium & Converſationis averſatio ; cujus ſuperior gradus eſt *Odium*. Nam Fundamentum legis naturæ eſt ſocialis hominum natura.

II. In exceſſu, ὑπερφιλία ; Amor nimius, cæcus & perverſus, honeſtatem Violans.

Ex his inferendum eſt quòd ad Perfectam Amicitiam requiritur Beneficentia. Mutatis tamen moribus repentè diſſolvenda eſt Amicitia. *N.B.* Fi-

N. B. Fieri nullo pacto poteſt, nec optandum quidem eſt in Amicitiâ, ut me ille plùs quàm ſe amet, ego illum plùs quam me. Cic. Tuſc. q. l. 3.

Ei in genere opponitur *Inimicitia.*

CAP. XXXI.

De Virtutibus Intellectualibus.

VIrtus Intellectualis eſt *habitus animæ rationalis quâ mens noſtra vel affirmando vel negando, verum enunciat.*

Subjectum ejus eſt ea pars animæ, quæ *Rationalis* appellatur.

Finis ejus eſt Veritas, quam mens inveſtigat, vel contemplendo; quod munus eſt facultatis θεωρητικῆς; vel, in tranſeundo ad actionem, ſeu uſum. Unde Duplex eſt, Vel,

I. *Speculativa*; quæ in nudâ cognitione ſubjecti conſiſtit.

II. *Practica*; quæ operando ſe prodit, ínque illo acquieſcit; quod eſt partis λογικῆς.

1. Virtutes intellectuales theoreticæ ſunt tres.

Prima, *Intelligentia*; quæ eſt habitus mentis, quo principia ſcientiarum cognoſcimus.

Adeo ut ejus Objectum ſunt ipſa Principia ſeu axiomata ſcientiarum.

Secunda, *Scientia*; quæ eſt habitus mentis demonſtrativus ſcientiarum è neceſſariis principiis.

Inde ejus objectum eſt τὸ ὁπίστον; quod eſt rerum tantùm neceſſariarum.

Tertia, *Sapientia*; quæ eſt ipſa Intelligentia & ſcientia rerum præſtantiſſima.

Ejus Objectum ſunt res omnes, quæ ſub ſcientiam cadere poſſunt.

Sapi-

Sapientia bifariàm ſumitur, vel,

Primò ; pro habitu conſtante ex intellectu & ſcientiâ ; quomodo omnes diſciplinæ contemplativæ , *Phyſica* nimirùm (quæ complectitur habitum Naturalis Philoſophiæ principiorum, concluſionúmque phyſicarum) *Mathematica*, & *Metaphyſica* ſunt *Sapientiæ.*

Secundò ; Pro habitu concluſionum neceſſariarum acquiſito per principia abſolutè *prima* & ſuprema ; quomodo *Metaphyſica* ſola eſt *ſapientia :* utpote quæ eſt habitus acquiſitus per principia abſolutè prima & maximè Univerſalia. *Baron.* Met. Sect. 1. pars 1.

2. Virtutes intellectuales practicæ ſunt duæ.

Prima, *Prudentia* ; quæ eſt habitus verus agendi ea omnia

quæ homini bona ſunt vel mala, cum ratione.

Objectum ejus ſunt τὰ πρακτὰ; omnia quæ ſunt agenda neceſſariè.

Prudentia eſt, vel,

I. *Communis*; quæ eſt iterum, vel,

I. *Politica*; & hæc eſt,

I. *Legiſlatoria*, de legibus ferendis.

II. *Practica*, de Republicâ adminiſtrandâ. Eſtque hæc vel,

1. *Senatoria*, de negotiis futuris, vel,

2. *Judicatoria*, de rebus in foro præteritis.

II. Vel, *Oeconomica*; quæ eſt prudentia *communis* rectè conſulendi familiæ: quæ eſt denique.

II. *Privata*; quam nobiſmet noſtríſque commodis quærimus.

Secunda

Secunda Virtus intellectualis practica, est *Ars*; quæ est habitus cum rectâ ratione activus, circa res *Mechanicas.*

Objectum ejus sunt τὰ ποιητὰ; seu illud ex quo tanquam ex materiâ efficitur.

Jam verò Artificis officium consistit in tribus actionibus: *viz*,

I. Ἐν τῷ θεωρεῖν, spectando rem aliquam.

II. Ἐν τῷ τεχνάζειν, artificiosè fabricando.

III. Ἐν τῷ γεννᾶν; ut qui producat Opus.

Nota hæc duo discrimina, cum aliis, inter *Prudentiam* & *Artem.*

Primò; quòd Artis sit aliqua Virtus; prudentiæ non sit: hoc est, Artifex potest esse & bonus & malus; prudens non nisi bonus.

Secundò; quòd in Arte excuſatius ſit (verba ſunt *Senecæ*, Epiſt. 95.) voluntate peccare quàm caſu; in prudentiâ, autem, maxima culpa ſit ſponte delinquere. Lib. 6. Eth. c. 5.

FINIS.

INDEX

Rerum Moralium

Compendio hocce diſcuſſarum.

Pag.

PHiloſophia, *quid*; *& quotuplex*, 1
Praxis *&* Poëſis, *quomodo definiuntur & differunt*, 2
Philoſophiæ Moralis *derivatio & diviſio*, 3
Ethica, *quid*, ibid
Eſt Prudentia, *non* Scientia, ibid
Politica, *quid*, ibid
Oeconomica, *quid*, 4
Demonſtrationem *Moralem dari non facilè poſſe*, ibid
Juvenis, qualis *eſt qui non debet eſſe Auditor* Ethicæ, ibid

Disciplinæ Practicæ *traduntur* Methodo Analyticâ, 5
Finis *Ethicæ, quid,* ibid
Bonum; *quid*; *& quotuplex,* 6
Stoicorum *Opinio de* Bonis, 7
Bonitas Intentionis *non sufficit ad Bonitatem* Actûs, 8
Rebelles *sub hâc larvâ,* ibid
Datur Finis Ultimus; *& quid est,* 9
Vulgi *Felicitas in* Divitiis, ibid
Politici, *in* Honore, 9, 10
Epicuri, *in* Voluptate, 10
Theoretici, *in* Contemplatione, ibid
Platonis, *in* nudâ Idea *Boni,* 11
Stoicorum, *in solâ* Virtute *ante ejus* Habitum, ibid
Refutatio Carteſii *circa* Beatitudinem, 12
Felicitatis *Definitio ſecundùm* Peripatetieos *&* Boëthium, ibid
Felicitas *optimè definitur ab* Ariſtotele, 13
Sedes Felicitatis, ibid
Felicitatis *diviſio,* 14

Boni

Boni *Etymon*, 15
Principia Actuum Humanorum, *quot, & quæ*, 16
Voluntatis *Cæcitas*, ibid
Intellectus, *quid*; *& quotuplex*, 17
Judicium *Intellectûs, quid*; *& quotuplex*, 17,18
Propositio *objecti ab Intellectu, quid*, 18
Deliberatio, *quid*, ibid
Epicteti *Bonum in nostrâ Potestate*, 19
Voluntas, *quid*, 20
Voluntatis *Actus quotuplex*, ibid
Velleitas, *quid est*, 21
Volitionis *Definitio*, ibid
Fruitio, *seu complacentia voluntatis*, ibid
Electio, quid, 22
Ordo Actuum Intellectûs & Voluntis, ibid
Deliberatio & Electio *requiruntur ad omnem Actum humanum*, ibid
Libertas *voluntatis, quid*; *& quotuplex*, 23

Im-

Imperium *ejus, quid*; *& quotuplex*, ibid
Voluntas *non eſt libera circa* Finem Ultimum, 24
Datur Liberum Arbitrium, *quod* Prædeſtinationi Presbyterianæ, *non* Præſcientiæ divinæ *repugnat*, 25
Appetitus Senſitivus, *quid*; *& quotuplex*, 26
Paſſiones, *quot ſecundùm* Peripateticos, 27
Ira, *quomodo definitur*, 28
Paſſiones *ſunt* Indifferentes, 29
Paſſionum *Diviſio*, 30
Paſſionum *Numerus apud* Stoicos, ibid
Paſſionum *Indifferentia*, 31
Refutatio Apathiſtarum ibid
Affectus, *quid*, ibid
Modus & Origo Affectuum 32
Violentia, *quid*, 34
Voluntas *non poteſt cogi*, ibid
Ignorantia, *quid*; *& quotuplex*, ibid

Igno-

Ignorantia invincibilis, *Excusat Peccatum*, 35, 36
Spontaneum, *quid*; & *bifariam sumitur*, 37
Actiones Mixtæ, *quæ sunt*, 38
Bonitas & Malitia *definiuntur*, 39
Actiones Humanæ, *quotuplices*, ibid
Dantur Actiones Indifferentes, 40
Ceremoniæ Ecclesiæ Anglicanæ *non sunt* Indifferentes, ibid
Actio *fit* Bona vel Mala *à circumstantiis*, ibid
Circumstantiæ, *quæ sunt & quot*, 40
Media *Ethicæ*, *seu Virtutes*, 42
Virtutum *Divisio*, ibid
Virtutes Morales *quot*, 43
Prudentia *quid*, ibid
Et quotuplex, 44
Synteresis, *quid*, ibid
Concilium viri Prudentis, 45
Virtutes Morales *inter se connectuntur* Prudentiâ, ibid
Virtutis Moralis *definitio*, 46
Objectum Virtutis, *quid*; & *quotuplex*, 47

Forma

Forma Virtutis, *ſeu* Mediocritas, ibid
Medium, *quale & quotuplex*, 48
Virtutes *conſiſtunt in* Medio Rationis, ibid
Virtutis *cauſa Efficiens*, 49, 50
Virtus, *quomodo eſt à Naturâ*, 50
Virtus, *quomodo acquirenda eſt*, 51
Virtutes *non inſunt nobis à Naturâ*, 51
Pietas, *quid*; *& quotuplex*, 52,53
Atheörum *Confutatio*, 53
Phanaticorum Pietas *Indecora*, ibid
Probitas, *quid & quotuplex*, 54
Undecim *ſunt* Virtutes Morales, ibid
Renati *virtus Unica*, 55,56
Quæ ſunt Virtutes Cardinales, 57
Fortitudo, *quid*, ibid
Objectum ejus ibid
Officium viri fortis, 58
Suicidæ *non ſunt Fortes*, ibid
Duellum *non eſt licitum*, 59
Extrema Fortitudinis, 60
Temperantia, *quid*, 61

Objectum

Objectum ejus, ibid
Officium viri Temperantis, 62
Extrema Temperantiæ, ibid
Species Temperantiæ Frugalitas & Caſtitas *definiuntur*, 63
Intemperans *pejor* Ignavo, ibid
Liberalitas, *quid*, 64
Obiectum ejus, ibid
Datur Liberalitas *in* accipiendo, ibid
Circumſtantiæ Liberalitatis, 65
Quomodo dandum *eſt*, 65
Quomodo liberaliter accipiendum, ib.
Extrema Liberalitatis, 66
Avaritia *pejus eſt vitium* Prodigalitate, ibid
Magnificentia, *quid*, ibid
Magnificentis *Officium*, ibid
Extrema ejus, 67
Magnanimitas, *quid*, 68
Objectum ejus, ibid
Officium Magnanimi, ibid
Magnanimitatis *ſedes*, 69
Extrema ejus, 70
Modeſtia, *quid*, 71

Magni-

Magnificentia & Liberalitas; Magnanimitas & Modeſtia *gradu ſolùm differunt*, ibid
Officium hominis Modeſti, 71
Extrema Modeſtiæ, ibid
Manſuetudo, *quid*, 72
Objectum ejus, ibid
Mediocritas Iræ, ibid
Vindicta *quotuplex*, 73
Vindicta Publica *eſt licita*, ibid
Extrema Manſuetudinis, ibid
Virtutes ὁμιλητικὰι *ſeu Familiares quæ ſunt*, 74
Veracitas, *quid*, ibid
Veritas, *quotuplex*, ibid
Veracis *Officium*, 75
Æquivocationes Jeſuiticæ *abominandæ*, ibid
Extrema Veritatis, ibid
Mentiri & Mendacium dicere *differunt*, 76
Comitas, *quid*, ibid
Extrema ejus, 77
Urbanitas, quid, ibid

S. Scri-

S. Scripturæ *indulgent nobis Ludos & Jocos innocentes,* ibid
Ludere cum Sacris non licet: Angl. BURLESQUE. 77
Quære; *An Ludi* Chartarum, *aut* Gladiatorum, *aut* Scenicorum, *præcipuè* noſtrorum, *ſint liciti*; *cum ingenioſiſſimo viro* Jer. Collier, 78
Extrema Urbanitatis, ibid
Juſtitia *in genere, quid*; *& quotuplex,* ibid
Objectum ejus, 79
Oppoſitum, Injuſtitia, ibid
Neceſſitas *ejus ſumma eſt in* Supremo Magiſtratu, 80
Jus, *quid,* 81
Multifariam dividitur, 82
Jus Naturale, *quid,* ibid
Status Naturæ *non eſt* Status Belli, ibid
Jus Gentium, *quid,* ibid
Jus Civile, *quid*; *& quotuplex,* 82, 83
Utilitas ſola *non eſt Menſura* Juſtitiæ, 83

Promul-

Promulgatio *eſt de Natura & Eſſentia* Legis, ibid
Conſuetudo *poteſt abrogare Legem & obtinere vim Legis*, 84
Æquitas *definitur*, ibid
Juris *oppoſitum eſt* Injuria, ibid
Injuria, *quid*, ibid
Summum Jus, *quid*, 85
Damnum, quotuplex, ibid
Juſtitia *in ſpecie, quid*; 86
Objectum ejus, ibid
Mediocritas *ejuſdem*, 87
Juſtitia Particularis *eſt duplex* ibid
Diſtributio *ejus*, ibid
Extrema Hujus, 88
Reſpectus Perſonarum *non eſt licitus*, ibid
Commutatio Juſtitiæ, ibid
Medium *Hujus*, ibid
Oppoſita, 89
Lex Talionis, 90
Semivirtutes, *quæ & quot*, 91
Gradus *Virtutum ſunt Tres*, ibid
Semivirtus *definitur*, 92

Con-

Continentia *circa* voluptates, *quid*, 93
Objectum ejus, ibid
Extrema ejusdem, ibid, 94
Tolerantia *circa* dolores, *quid*, 94
Objectum ejus, ibid
Extrema ejusdem, ibid
Virtus Heroica, *quid*, 95
Extrema ejus, ibid
Voluptas, *quid*, ibid
Ejus Distinctio, 96
Quotuplex est, ibid
Corporis Voluptas multiplex, ibid
Oppositum Voluptatis, 97
Amicitia, *quid*, ibid
& quotuplex, ibid
Utilitas Mercatorii Londinensis, ibid
Opposita Amicitiæ, 98
Fundamentum legis Naturæ, ibid
Amicitiæ *contractæ dissolutio*, ibid
Virtutes Intellectuales, *quæ & quot sunt*, 99
Finis Earum, ibid
Intelligentia, *quid*, 100

Scientia,

INDEX.

Scientia, *quid*, ibid
Sapientia, *quid*, ibid
Sapientiæ *Diviſio*, 101
Prudentia, *quid*, 102
& quotuplex, ibid
Ars, *quomodo definitur*, 103
Officium Artificis, ibid
Differentia inter Artem *&* Prudentiam, 103, 104

FINIS.

ERRATA.

PAg. 6. pro, *&c.* lege, *& cætera.* p. 8. pro *aut ad summum Vanitatis*, l. cum Punctis, *aut, ad* Summum, *Vanitatis.* p. 10. pro *πρικτικὸν*, l. *πρακτικὸν.* p. 12. pro *Statas*, *l. Status.* p. 16. pro *dctat*, l. *dictat.* p. 17. pro *speculativa*, l. *speculativi.* p. 29. pro *indifferentis, naturæ reperitur*, l. *indifferentis natura, reperitur*, &c. p. 33. pro *παθος*, l. *πάθος.* p. 48. pro *τὸ ἔ*, l. *τὸ εὖ.* p. 78. pro *cum illis sub*, l. *& cum illis sub.*